

inscius atque ultro verbis conpellat amicis:
 'festinate viri. nam quae tam sera moratur
 segnities? alii rapiunt incensa feruntque
 Pergama; vos celsis nunc primum a navibus itis?' 375
 dixit, et extemplo — neque enim responsa dabantur
 fida satis — sensit medios delapsus in hostis.
 obstipuit retroque pedem cum voce repressit.
 improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
 pressit humi nitens trepidusque repente refugit 380
 attollentem iras et caerulea colla tumentem:
 haud secus Androgeos visu tremefactus abibat.
 inruimus densis et circumfundimur armis,
 ignarosque loci passim et formidine captos
 sternimus: adspirat primo Fortuna labori. 385
 atque hic successu exsultans animisque Coroebus:
 'O socii quae prima' inquit 'fortuna salutis
 monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur:
 mutemus clipeos Danaumque insignia nobis
 aptemus. dolus an virtus, quis in hoste requirat? 390
 arma dabunt ipsi.' sic fatus deinde comantem
 Androgei galeam clipeiue insigne decorum
 induitur laterique Argivom accommodat ensem.
 hoc Ripheus, hoc ipse Dymas, omnisque iuventus
 laeta facit; spoliis se quisque recentibus armat. 395
 vadimus inmixti Danais haud numine nostro
 multaque per caecam congressi proelia noctem
 conserimus, multos Danaum demittimus Orco.
 diffugiunt alii ad navis et litora cursu
 fida petunt, pars ingentem formidine turpi 400
 scandunt rursus equom et nota conduntur in alvo.
 Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis.
 ecce trahebatur passis Priameia virgo
 crinibus a templo Cassandra adytisque Minervae
 ad caelum tendens ardentia lumina frustra, 405
 lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.
 non tulit hanc speciem furiata mente Coroebus
 et sese medium iniecit periturus in agmen.